

« Quia videte, quomodo magnificatus est in vobis ! » idque tam temporibus anteactis, quam ipso iudicante Samuele. v. 23 « Quid si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis ». Propheta, veluti praescius neglectum iri sua monita, haec vox minatoria concludit. Hac oratione abdicasse iudicis officium Samuelem, etiam innuitur sequenti versu, illico initium regni Saul pronuntiante.

PARS II. SAULIS A REGNO REPROBATIO 1 REG. 13-16.

Tantum abest ut s. auctor totius regni Saulitici historiam texat, ut evidenter ex toto regno ea sola facta seligat, quae reprobationis causa fuere. Utrum bellum Philisthaicum, quod modo narratur, primum fuerit, nescimus.

1) Saul ob diffidentiam Galgalis admissam carpitur 1 Reg. 13, 1-16.

ARG. — Praedixerat Sauli Samuel 10, 8 : « Et descendes ante me in Galgala, ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem et immoles victimas pacificias. Septem diebus expsectabis, donec veniam ad te et ostendam tibi, quid facias ». Iamaderat probationis praemunitae tempus. Philistheis Israelitas imparatos adoratis, expsectavit quidem Saul septuaginta iuxta placitum Samuelis, peccavit vero defectu timoris filialis et fiduciae, quae Deus 42, 24 sq. per prophetam inculcaverat; peccavit eo quod, dilato praeter expsectionem prophetae adventu, rem fere pro desperata habuerit, nec nisi holocausto praecipitanter oblatu restituendum. In cuius pusillanimitatis poenam non ipse quidem, sed eius posteritas regno est exclusa.

Cap. XIII v. 1 « Filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset, duobus autem annis regnavit super Israel ». Textus disputatissimus, qui ignoratur a LXX et, quadam priorem partem, etiam a Los., fortasse quod illi de eo restituendo desperarent. Versus evidenter vult dare annos aetatis et regni Saul : eadem siquidem formula constanter initio singulorum regnum recurrit, cf. 2 Reg. 2, 10; 5, 4; 3 Reg. 14, 21; 22, 42; 4 Reg. 8, 17 etc. Aliunde evidens est, numeros, uti nunc leguntur, non potuisse ab auctore scribi, sed debere esse corruptos.

Hebr. : *Filius anni erat Saul, cum regnare coepisset etc.* Chald. : *Sicut filius anni, in quo non sunt culpas, erat Saul, etc.* Syr. : *Cum anno uno vel duobus regnasset Saul in regno suo super Israel, elegit sibi Saul etc.* Quas duas versiones alii alteri modifickerunt : sed admitti neutra potest ob rationem supra positam, formulae siquidem sensus dubium non patitur. Ceterum ex Hebr. et Chald. patet, Vulg. *unius*

et Syr. *uno* explicationis gratia textui esse addita. Antiquiores interpretes fero sequentur Chaldaeum, fusse Saulem imoventem uti annus anni infantem, quando regnare cooperit, atque in hac felici conditione duos annos regnasse ; ita Ps. Hier., Greg., Eucher., Angelon. Procop., Abul., Cat., Lyr., Sa. Est.; ubi ali cum *Sanct.* bimini illud de toto regno intelligent, alii cum *Vatabl.* illud ad solam Saulis reprobationem contrahunt. Meminerunt Mar. et Malv. opiniois quorundam Hebraeorum, intercessisse annum a privata Saulis uincione vel publica eius electione usque ad regni innovationem Galgalis factam 11, 14, atque inde alterum annum, quod 13, 2 Saul delectum habuit tria milium virorum. Tir. et Malv. parenthesis quandam astrunni : « Agens primum annum Saul in regno suo (duobus autem annis regnavit super Israelem), elegit sibi tria milia etc. ». Haec omnia sunt perquam violenta, maxime cum agatur de formula, que frequenter et determinato omnino sensu in Regum libris adhibetur. — Facillime est solutio *Cani* (De loc. theol. XI.), in priore versu parte antiquum excidisse numerum, hoc modo : « Filius... annorum erat Saul ». Quam *Cani* O. P. sententiam ignorans *Malv.* O. P., vehementer in eiusdem sententia *Scaligerum* invenitur : « Huius est divinus Scaliger, qui ab ipso aeterno Patre potestotem accepit mutandi et supplendi sacras scripturas ». Sed parcat *Scaliger* *Malv.*, cuius sententiam primo loco recensem *Calm.* et nunc sequuntur plures. Imo L. Reiske (Beitrage I. 133) censet, ipsum s. scriptorem primitus versum omisso actius numero narrationi inseruisse, quod cum tum numerum comprehendit non habuerit ; quem postea aut suppone omisit, aut nunquam cognovit. Cuius sententiae sunt Then., Hiltzig, Wellh. — Quaenam fuerit Saulis aetas initio regni, noscimus ; quod enim aliquis codex LXX (in Hexapla) habet « triginta », videat esse conjectura. Alii putant fusse fore quadragenarium, quod filium haberet Ionatham, quem initio regni v. 2 iam copias praeficeret ; sed, quantum tempus inter bellum Ammoniticum et Philisthaicum intercesserit, ignoramus ; potuit illud esse plurimum annorum, maxime si regno Saul quadragenaria anni tribuanter.

Etiam Saulis regnum *bienno* longius duravit. Secus David, qui triginta annos natus 2 Reg. 5, 4 regnum obtinuit, fusset viginti octo annorum, quando unctus est a Samuele : at longe junior tum fusse 16, 17; 17, 33 describuntur. Insuper quatuor supremos regni Saul menses versabatur David 27, 7 apud Achis, regem Geth. Restant igitur illius bienniis menses viginti, quibus debuit David regi ita fieri familiaris, ut in generum regis 18, 21 assumeretur ; debuit praeter regis filiam alias duas 25, 42 sqq. ; 30, 5 ducere uxores, et interea ea omnia peragere, quae ab eo contra hostes et in fuga gesta esse narrantur. Quae omnia certe non nisi insignis roboris et mirae agilitatis vir potuit mensibus viginti absolvere. — Act. 13, 21 assignantur regno Saul quadragesima anni, eosdemque Los. (Ant. VI. 14, 9) habet, tribuens octodecem Sauli vivente Samueli, et viginti duos eo defuncto. Aliqua confirmatio inde sumitur, quod 2 Reg. 2, 10 Ishoseth tribuantur quadragesima anni, ille autem 1 Reg. 14, 49 inter filios Saul nondum recensetur, ergo videatur a Sauli genitus esse post acceptum regnum. Numerus hic quadragesima certo est refinendus, quandiu nullum exstat argumentum, illum falsum esse demonstrans. Facile insuper antiquis characteribus permutari poterant □ (40) et □ (2).

v. 2 « *Et elegit sibi Saul tria millia de Israel* ». Initium id fuit exercitus permanentis ad auctoritatem regis tuendam tam contra hostes exterios, quam contra domesticos inimicos, cf. 10, 26. Then. putat, Saulem ab ipso regni exordio consilium iniisse Philisthaeorum dcbellandorum :

at tum imprudenter egisset, aut non inquirendo de numero copiarum Philisthaeorum (cf. v. 3), aut, eo comperto et longe maiori numero iam Galgalis collecto (11, 13), sola tria millia secum retinendo. *Keil* etiam tenet, Saulem meditatum esse bellum, voluisse tamen primum solummodo praesidium aliquod observare, quod Philisthaei prope Gabaam obtinerent (?). Una ratio, cum Saul illa tria millia elegerit, omnino videtur fuisse haec, ut sibi sufficientem auctoritatem inter Hebraeos regno necrum assuetos conciliaret, cui fini etiam alias 24, 3; 26, 2 ea cohors adhibita est. Ita tamen simul nanciscebatur Saul stabilem nucleus exercitus, qui hostium incursionibus extemplo obici posset. « *Et erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel, mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin; porro ceterum populum remisit unumquenque in tabernacula sua.* » Machmas, hodie Michmas, locus est fere ad orientem Bethaniam (v. 3), ad meridiem Aiath seu Hai, et Magronis (Is. 10, 21). Mons Bethel ex Gen. 12, 8 erat ad orientem Bethel, fere medius inter Bethel et Hai. Gabaa h. l. vocatur Gabaa Beniamin, ut distinguitur a Gabaa Iuda Ios. 47, 37 et etiam a Gabaa Saulis seu Dei, nunc Djeba, cf. 10, 5; 41, 4; Is. 10, 29; et dicenda ad 14, 2. Saul ipse substitut in Machmas, sive quod eum locum a Philisthaeis primum impugnatum iri coniceret, sive quod eum munitiorem iudicaret. Ionathanem constituit in Gabaa seu Geba, in opposita parte eiusdem saltus (Wadi Suwenit) : ita utrimque hostes a descensu in Galgala prohibebantur.

v. 3 « *Et percussit Ionathas stationem Philistinorum, quae erat in Gabaa,* » sc. in Geba (Hebr.) seu Gabaa Beniamin, ubi ipse v. 2 erat. Ergo monumentum (*Vulg. stationem*, sed cf. dicta ad 10, 3) h. l. non est idem illud, quod erat prope Gabaa Saulis, sed aliud quoddam, uti videtur, a Philisthaeis in signum prioris alieni victoriae erectum. Ionathas videtur inconsulto patre egisse, vel ut Iudeis adderet animum, vel ut Philisthaeis confunderet. Sed aliter res cessit, nam Philisthaei, re auditu, convolaverunt ad arma, ut ex contextu patet. « *Quod cum audissent Philistini, Saul, cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebrei?* » Buccina populus ad arma vocabatur Ind. 3, 27; 6, 34; 2 Reg. 20, 1; 3 Reg. 4, 34, 39; 4 Reg. 9, 13. Tuba homines reddebat attentos, dein tibicen alias verba proferebat. Quaenam summa fuerit proclamationis, ex praecedentibus colligitur et versus sequenti enuntiatur : propalabatur sc. Ionathae facinus, ad inflammados popularium animos. Illico enim perspexit Saul, in sola iam pugna salutem esse positam : quare populum Galgalam convocavit, et ipse illuc primus properavit; unde v. 7 dicitur « *adhuc* » ibi fuisse. Properavit autem instruendi exercitus causa, relictis sane tribus millibus virorum in Machmas, Gabaa Beniamin et in monte Bethel. v. 4 « *Et universus Is-*

rael audivit huiuscmodi fanum : Percussit Saul stationem Philistinorum », seu verius monumentum. Duecum facinora regibus adscribuntur. « *Et erexit se Israel adversus Philistini; clamavit ergo populus post Saul in Galgala.* »

Vulg. erexit se, Chald. concitatus est ; item Syr., ubi legendum puto סִבְרָה pro סִבְרָה ; ergo et exarxit Israel adversus Philisthaeos », sensus de se valde apud. Videntur leguisse סִבְרָה pro נַצְבָּה, « *foctens factus est Israel apud Philisthaeos* », LXX ιστόντας. Rursum forman סִבְרָה וְנַצְבָּה Vulg. LXV(ιστόντας, corrigε ιστόντας Wellh.) interpretati sunt kal. *clamavit*; melius certe *Masor. Chald. Syr. mphal, convocati, congregati sunt.* Sensus videtur esse, Israelitas, auditu nuntio, primum magno animo contra Philisthaeos exarsisse, et Galgala confluisse.

Fateamus oportet, *Hebreorum* nomen generatim tantum ex ore aut ex mente hostium populi electi vel certe alienigenarum usurpari. Sic Gen. 14, 13 ex mente nuntii ; — Gen. 39, 14, 17; 41, 12; 43, 32; Ex. 1, 11, 16; 2, 6, 11, 43 ex mente Aegyptiorum ; — 1 Reg. 4, 6; 9; 13, 19; 14, 11; 29, 3 ex mente Philisthaeorum ; — Gen. 40, 15; Ex. 1, 19; 2, 7; 3, 18; 5, 3; 7, 16; 9, 1, 13 ex ore Israelitarum alienigenas alloquuntur ; — pauciores sunt loci, ubi simile quid non obtinet. Ideo eadem vox h. l. in solemani regis ad populum proclamatione, suspicione non caret. Cum tamen eadem vox quandomque, et speciatim nostro hoc libro, etiam ex mente Israelitarum ponatur (Deut. 15, 12; 1 Reg. 13, 7, 19; 14, 21) et, quomodo textus prudenter emendari possit, non compareat, vox merito prescribitur nequit.

Sic equidem, *pro audiunt Hebrei* LXX habere *contemporaverunt servi*. Facillime *Hebrei* in servos mutari potuerunt, commutato γένος τι ; verum lectionem LXX confidunt non solum reliqui textus, etiam *Aq.* et *Syrm.*, sed ipse *Is.* textum, quem in LXX legebat, ita circumserbentis : « *Ubi de praesidio capto andire Philistaei, indignati et contemptum gravem iniuriam rati, Hebreis bellum inferunt.* ». Est autem in lectione LXX alterum, quod vel ipse *Is.* ibi legebat, sc. vox *contemporaverunt*. Fortasse pro γένος legebat LXX γένος, quae vox 2, 29 et Dent. 32, 15 continebendi, immo recalcarandi significacionem habet (Wellh. suggestit γένος defere) ; vertendum igitur esset ; et dicens (*Saul*) : *Rebellaverunt Hebrei* ». Qui sensus satis commodus est, sed nondum satisfaciens LXX : ipsi enim non legabantur vel imperativum, sed perfectum. *Saul* autem vix potest figni dissipli : *Rebellaverunt Hebrei* ; nondum quippe rebellaverant, sed ad rebellionem instigabantur. Cum Wellh. igitur dicendum erit, id que fortasse (?) ex los. aliquatenus poterit confirmari, verba nume alio, quam quo prius legerentur, exstare loco, textumque fuisse hunc : « *Et audiuerunt Philistaei, dicentes: Rebellarerunt Hebrei ; et Saul cecinit buccina in omni terra, et universus Israel audivit, etc.* » Num contra reliquos textus omnes (etiam *Aq.* et *Syrm.*), sola praeclarente LXX, tanta textus mutatio adstruenda sit, ipse videris, lector benevolè.

v. 5 « *Et Philistini congregati sunt ad praeliandum contra Israel, trigesinta millia currum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus* », i. e. pedites, « *sicut arena, quae est in littore maris plurima* ». Expressio haec hyperbolica scripturam valde familiaris est (cf. Ios. 11, 4 ; Ind. 7, 12; 2 Reg. 17, 11; 3 Reg. 4, 20, 29, etc.); h. l. designat numerum comparatione valde magnum, simul patefacit rationem, cur Hebrei ex summo pugnandi ardore v. 4 tam cito ad summam deiectionem transierint. Numerus tamen curruum certe excessivus est.

Ver. : « Omnes fatentur, incredibilem esse numerum triginta millia, si ad currus referatur, nullamque esse proportionem, cum sex milibus equorum ». Nec ulla tot currum poterat esse usus in regione montibus obsita (*Reinke* p. 209 sq.). *Calm.*, *Duguet* notant, teste scripture habuisse Pharaonem nonni sexcentos (Ex. 14,7), Iabin regem Asor nongentos (Ind. 4,3), Salomonem mille quadringentos (3 Reg. 10, 26), Sesac ducentos (2 Par. 12, 3), Zaram Aethiopem trecentos (2 Par. 14, 9), Adarezer regem Syriae mille (1 Par. 18, 4), Antiochum Eupatorem trecentos (2 Mach. 13, 2) currus; ipse Darius Arbelis ducentos tantum eurus Alexander opposuit. Quicquid misellis istis Philistaeis currum triginta millia concedamus ! *Syr.* habet tria millia, forte legens pro סָלַשׁ בְּמִלְחָמָה, consentaneumque *Carrière*, *Grotius*; sed et hoc vix credibile. *Ios.*, retentis triginta milie curribus, posuit equites sexaginta millia, sive quod legitur בְּמִלְחָמָה, sive quod, sapientis imperatoris actus, tot illis curribus iudicaverit plures numero equites esse attribuendos; pedium præterea adiuventem trecenta milia. Unus codex Hebr. habet *mille*, putataque *Then.*, ante hanc vocem inadvertenter esse repetitum, finaliter præcedentis vocis *Israel*, cui valor numeralis triginta. Sed et hoc nimis dicit *Reinke*.

« *Et ascenderentes castrametati sunt in Machmas, ad orientem Bethaven.* » Bethaven prope abfuisse a Bethel et ab eodem distinctum, clare affirmatur *Ios.* 7, 2; 18, 12 sq. *Quod excelsum extra Bethel situm et idolatria desecratum, a prophetis* (Am. 5, 5; Os. 4, 13; 10, 5, 8) Bethaven loco Bethel, i. e. domus abominationis loco domus Dei, appelletur, non probat urbem Bethaven eandem esse quae Bethel. Philistaei eo penetrare non poterant, quin Israelitas, a monte Bethel usque Machmas dispositos, in hunc locum repellerent. De his Israelitis iam loquitur v. 6 « *Quod cum vidissent viri Israel, se in arco positos, afflictus enim erat populus, absconderunt se in speluncis et in abditis, in petris quoque et in antris et in cisternis.* »

Saul absente, secesserat enim in Galgala, dilapsi sunt, qui fuerant circa Machmas, Hebrei in omne genus latebrarum, tam naturalium, quas Hebr. enumerat a radice ad cacumen collis : *in speluncis, et in rupibus, et in turribus* (cf. Ind. 9, 46. 49 et *Ges.*), sive infra terram descenderent : *et in cisternis*. Verba quoniam comprehendebatur populus perperam otiosa censem *Then.* : Saul copias illa disposuerat, ut venientes trita via de Maspha hostes exciperet. Illi, via Bethaven incedentes dexterum eius cornu, quod a Machmas usque ad montem Bethel protenderebatur, reiecerant atque vix non a septentrione et oriente circumveniuntur. Comprimebant igitur omnia illa duo millia virorum in Machmas parumque absuit, quin circumvenirentur. Quo viso illi dilapsi sunt, Ionathas vero in altera parte interiectae profundae vallis (Wady Suwenit) Gebam obtinebat.

v. 7 « *Hebrei autem transierunt Iordanem in terram Gad et Galad.* » עֲבָרִים cum LXX sume appellative : ergo non *Hebrei*, sed *ii qui*

uterius habitabant, non prope Machmas. *Hugo a S. Vict.* intelligit, Hebreos transiordanicos ad Saulem confluxisse : sed non de populis ad regem confluentibus his versibus agitur, sed de secedentibus a rege. Articulus omissus numerum indeterminatum significat (cf. *Ew.* et 23, 19); quodsi hanc regulam admittere nolis, facilius articulum excidisse suppones, quam illas admittes textus mutationes, quas alii adstruant. « *Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum.* »

Septem dies, de quibus v. 8, numerantur ab adventu Saulis in Galgala. Dies quisque infaustum nuntium afferebat, rapidi progressus Philistaeorum, desertorum Machmas, dilabentium militum, populi, quem ad arma vocasset, trans Iordanem fugae. Illi ipsi, qui v. 4 vocati se iunxerant et nunc cum eo versabantur, repleti erant terrore. Adverte exiguam populi fidem, in ipsis Galgalis tremuntis, ubi non ita diu ante divinum vidisset miraculum 12, 18, atque illa audisset verba 12, 22 : « Non derelinquet Dominus populum suum ». Ceterum ex hoc ipso fortassis coniicere fas est, saltem aliquot annos intercessisse inter regnum Galgalis instauratum et Philistaeicum bellum. — Probe conscius erat Saul, suac nunc probationis tempus advenisse, cf. 10, 8; quare v. 8 « *Et expectavit septem diebus iuxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo* »; illi ipsi, qui hucusque pleni voraxis ei adhaeserant. Ergo Saul non eo peccavit (*Greg.*, *Sanct.*), quod ante completos septem dies sacrificaverit, nam dicitur expresse usque ad praestitutum terminum expectasse, et verba *et non venit Samuel secus sensu carerent*. Neque eo peccavit (*Rup.* 167. 1088 sqq., *Lyr.*), quod sacrificium ipse ad altare obtulerit; etiamsi enim sacrificia excelsorum per sacerdotes Aaronicos offerri oportuerit (cf. quae diximus in fine cap. 7), at non asservitur Saul eorum opera non esse usus, et certissime non ob eiusmodi delictum a Samuele reprehenditur, v. 9 « *Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum et pacifica. Et obtulit holocaustum.* » v. 10 « *Cumque complexesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat; et egressus est Saul obiviam ei, ut salutaret eum.* »

v. 11 « *Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti?* » i. e. male egisti. « *Responditque Saul : Quia vidi, quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras iuxta placitos dies, porro Philistini congregati fuerant in Machmas,* » v. 12 « *Dixi : Nunc* », disiecta tandem exigua Iona-tha manu atque occupatis collibus, « *descendent Philistini ad me in Galgala* », locum patentem, quo facilime oppressuri sint me (*Then.*), « *et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* » Optime *Vulg.* tria membra v. 11 construit dependenter a *Quia* vidi, ita ut apodosis v. 12 cum *Dixi* incipiat. Tria vidit Saul, quo-

rum primum et tertium, populi incerta fides et Philisthacorum adventus, rationem dant non dilati sacrificii; alterum, dilatus Samuelis adventus, rationem dat sacrificii etiam absente propheta oblati. Saul eadem, qua ceteri, pusillanimitate laborabat. Rem fere pro perdita habebat. Galgalam, locum tam evidenti miraculo illustratum, reputabat pugnae iniquissimum esse. Non sufficiebat ei Domini promissio, se non derelictum esse populum suum; putabat ad minimum faciem Domini addito sacrificio esse demulcendam, huiusque sacrificii cum populi salute necessariam quamdam connexionem se perspicere arbitrabatur. v. 13 « *Dixitque Samuel ad Saul : Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi.* »

Quodnam mandatum neglexit Saul? Non illud de Samuele septiduo expectando, nam expectavit, cf. v. 8. Non mandatum aliquod, ne laici sacrificarent. Dices, non solo septiduo iussum esse Saulem expectare, sed 10, 8: « *exspectabis, donec veniam ad te et ostendam tibi, quid facias;* » peccasse eo, quod ipse direxerit questionem nomini a propheta dirimendam. Partes sententiae Hebremera capula coordinat, illud « *et ostendam etc.* » per modum non mandati sed potius promissionis enuntiatur; unde neque ita severe potuisse Saul carpi. Dein questionem quid faciendum Saul nequaquam privata autoritate dirimendam suscepserat: non enim, essentiae in tantis angustis sacrificia offerenda, id ambigebatur, sed quid post oblatu sacrificea in hostes agi oportere. Quibus missis, mandatum a Saule neglectum querendum nobis erit cap. 42, potestque resumti verbi 12, 24 sq.; « *Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate et ex toto corde vestro . . . Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex uestre pariter peribitis.* » Inculcat ibi timor illi filialis, fidem atque fiduciam includens; timor, a quo defecerant Israelitae, dum petenter sibi regem 12, 12. Illum timorem illamque fiduciam Saulem Galgala exercere oportebat, desperatis iam fere secundum humanam aestimationem rebus omnibus. Haec erat probatio a Deo praestituta, qua se dignum regno exhiberet atque regni ad posteros transmissione minus meretur. Ad eam fidem atque fiduciam Saul, sicut et reliqui Israelitae, omnino obligabatur; fueratque ei, sicut illis, ea obligatio solenni Samuelis oratione cap. 12 denovo inculcata; immo benignissimus Deus 10, 8 ei momenta non obscure praemonstraverat, quibus tempus probationis adesse intelligeret, sibique tanto magis caveret. — Fatendum tamen aliunde est, verba Samuelis 10, 8 illud, in quo future esset regni probatio, non distincke efferre, immo potius in obscuro relinquere, nude facile Saul in errorem, eumque fortasse minus culpabilem, induci potuerit. Sensus satie obvius verborum 10, 8 is videri potuit, probationem limitatam fore ad septidui expectationem. Neque est ratio supponendi, Samuellem alii, praeter verba cap. 10 descriptis, Saulem de probationis obiecto distinctius edocuisse. Sed cur demum tam severe carpitur Saul? Primum adverte, eum nusquam commisi ea in re peccati *gravis* accusari, quod utrum admiserit necne, interpretis non est definire. At, si non admiserit, num non sicut poena sevior? Non fuit. Nam Sauli, non quod suum iam erat, aufercat Deus, sed ab

ulteriori tantum conferendo beneficio temperebat. Non est autem iniustum, vel ob parvum naevum a magno beneficio conferendo abstineare. Non privat Saulem Deus h. l. regno collato, id enim nomini 13, 28 prouintiat, sed non extendit regnum ad Saulis posteritatem, cui nequaquam antehac illud fuerat promissum.

« *Quodsi non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.* » Decreverat Deus, ut, si Saul fidelis in hac probatione perseveraret, regia dignitas ad eius posteros descendere. Quomodo vero eiusmodi decretum stare potuit cum vaticinio prius edito, de scepto tribui Iudea attribuendo? Decretum nostrum fuit conditionatum, illud vero vaticinium fundabatur in praescientia, conditionem non impletum iri. Quod si Deus praevidisset, eam conditionem a Saule impletum iri, aut illud vaticinium anteua non edidisset, aut modum inventisset, illud salvo tali decreto adimplendi. Cf. *Sanct.* — Tandem, ne cum Saule durius actum esse suspiceris, sedulo distingue Saulis privatam utilitatem ab eius regio officio. Ipsum *quae individuum manebant gratiae coelestes; ipsius regnum, ex divina praescientia et praecordinatione, erat a priori reprobatum, populo in poenam neglecti numinis concessum:* « *Rex non ad permanendum electus, sed secundum populi cor durum et malum, datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem.* » (*Aug.*). — Notat *Duguet*, severius Deum primam in quovis statu praevaricationem punire consuevit: primam in Adamo inobedientiam, primum in Cain homicidium, primum in Nadab et Abiu sacrilegium, primam in Achan rerum devotarum abstractionem, primum in Saule regis peccatum.

v. 14 « *Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quaeavit Dominus sibi virum iuxta cor suum, et praecepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris, quae praecepit Dominus.* » Ratio latea sententiae denuo effertur. Non tamen dicitur ille vir nocturnus principatum, Saule adhuc superstite. v. 13 « *Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. (Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgalis in Gabaa, in colle Beniamini).* » Ultima haec sola *LXX* habet, unde in *Vulg.* post Hlier. penetrarunt (*Verc.*). Samuel Gabaam Beniamin ascendit, ut interesset pugnae ibidem, ut interfueret Maspheae. « *Hinc constat, nondum fuisse Saulem reprobatum a Domino, quando illum Samuel non deseruit, sicut fecit postea in causa Amalek.* » (*Sanct.*). « *Et recensuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quasi secundos viros.* » Ergo, acceleratum in Galgala sacrificium, non praeediverat, quominus populus dilaberetur, cf. v. 11 (*Keil*). v. 16 « *Et Saul et Ionathas, filius eius, populusque, qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin; porro Philisthiim considerant in Machmas.* » His

resumitur narratio v. 7 abrupta de actis apud Gebam seu Gabaam Beniamin.

2) Bellum Philisthaicum 13, 17-14, 52.

ARG. — Dum Philisthaei et Hebrei adversos eiusdem vallis scopulos obtinent, Ionathas solus cum armigero, Dei auxilio fretus, hostes adoratur atque in fugam agit. Rem Saul et longinquae contuitus praeceps eosdem insequitur, totumque populum temerario voto, ne quis ante plenam hostium stragem cibum capiat, adstringit. Votum inscius Ionathas transgressus sorte reprehenditur, interim vero Philisthaei dilabuntur. Quaeunque Ionathas fiducia feliciter fuerant incepta, eadem Saulis praeumptione et superstitione retardantur atque truncantur. Concluditur narratio summaria regni Saul conspectu.

v. 17 « *Et egressi sunt ad praedandum de castris Philistinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Sual* »; v. 18 « *porro alius ingrediebatur per viam Bethhoron; tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum* ». *Hebr. Et egressus est vastator, tres cunei.* Vox vastator articulum habet, eo quod res fuerit Philisthaeis omnino usitata atque Hebreis oppido nota : vastationes illae in omnibus Philisthaeorum incursionibus locum habere consueverant.

Terra Sual ignoratur. *Ephra* civitas est tribus Beniamini Ios. 18, 23, crediturque eadem esse atque Ephron 2 Par. 13, 19 et Ephraim Ios. Bell. Jud. IV. 9, 9 : omnes hi textus intendunt locum propinquum Bethel. Sed nostrum Ephra non est idem atque Ephron Ios. 15, 9, civitas Beniamini, prope fines tribus Iuda, inter Ierusalem et Caria-thiarum siti : eo enim iter a Machmas Saulis praesidio intercepitur. *Bethhoron*, hodie Bet Ur, civitas Ephraimitica, omnino propinquus finibus Beniamini Ios. 16, 2, 5; 18, 13 ; secus viam quam ex Gabaon ducit Beniamini Ios. 16, 2, 5; 18, 13 ; secus viam quam ex Gabaon ducit Macelam Ios. 16, 11, vel etiam Lyddam Ios. Bell. Jud. II. 19, 1, et Antipatrin II. 19, 8. *প্ৰৱ্ৰতী তৰ্মুনী লেগেবান LXX בְּגַע collis* quod uulpi contextui melius responderet : iter collis imminentis valli. Nominatur urbs *Seboim* Beniaminitica 2 Esdr. 11, 34. Desertum intelligi potest vel illud trans Iordanem (sed ab hoc videtur Philisthaei Saulis praesidio efficaciter fuisse exclusi), vel desertum prope Bethaven, vel desertum Iuda. Si hoc ultimum supponamus, habimus Philisthaeos palantes versus septentrionem (Ephra), occidentem (Bethhoron), meridiem (Seboim) : ab oriente colibebantur Saulis praesidio.

v. 19 « *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel : caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebrei gladium aut lanceam* ». v. 5 et iterum v. 47 sq. perspeximus, quam expediti ad bellum fuerint Philisthaei : nunc docemur, quam misere Israelitae fuerint armis instructi.

Videtur ea constans fuisse Philisthaorum praxis, ut, quos subegissent, He-

1 REG. 13, 19-21

141

braeci arma adimerent. Dum enim Ad. Iud. 3, 40, Gedeonis 8, 20, Abimelechi 9, 34 tempore, itemque tempore belli a reliquis contra tribum Beniamini suscep-ti 19, 29 ; 20, 17, 23, 37, 48 ; 21, 10 gladiorum fit mentio : Samgar 3, 31 Philis-thaeos percussisse narratur *stimulo*, neque in tota Samsonis historia *gladii* mentio habetur. Ex his vero confirmatur, quod diximus, verba 7, 13 « et humiliati sunt Philisthiini, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis » — haec, in-quam, verba non de vita Samuelis vita esse accipienda, sed solum de tempore usque ad conscripta ab ipso septem priora nostri libri capita. Credo eidem caruisse Israelitas fabris et gladiis, quando 7, 6 Maspaham convenerunt : sed num in illi Philisthaeorum strage ne gladium quidem lanceamne acquisiverunt ? Acquisiverunt utique, sed pluribus annis post reddere coacti sunt, quando sc. rursum « apposuerunt Philisthaei, ut venirent in terminos Israel ». Rursum credo bello Ammonito cap. 11 Israelitas gladiis et lanceis caruisse. Sed num carebant Am-monite ? et quando « dispersi sunt ita, ut non relinquenter in cis duo pariter », num ne unus quidem ensis aut lancea in manus incidit Hebraeorum ? Inciderunt sine dubio, sed a Philisthaeis rursum collecti sunt, qui eo tempore iam ab annis, Hebraeis haud missantibus, toti regioni imperasse videntur. Imperium vero ita videtur exercuisse, ut statim temporibus regionem armata manu ingrederentur, arma, si quae essent, auferrent, tributu colligerent, imo fortasse agros vastarent, monumenta sive triumphatoria sive funebria (10, 3; 13, 3) erigerent. Et nota, nostram narrationem procedere ab auctore, qui mediis eventibus narratis inerat ; quando igitur ipse nobis dicit « descendebat omnis Israel ad Philis-thium », non sunt censendi aliqui remotiorum tantum partium Israelitae ad Philisthaeos descendisse, sed in primis etiam ii, quos auctor maxime prae oculis habebat, tribum Beniamini et Iuda.

v. 20 « *Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut excaveret unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et sarculum* ». Dixerat de gladiis et lanceis, iam dicit de instrumentis agrestibus, explicat quo modom fuerint acuta, cum nullus in regione esset faber.

Quod in *Hebr.* secundo loco ponitur ris, ex Is. 2, 4 ; Mich. 4, 3 ; Iosel 3 (4), 10 mitique cum *Syr.* vertendum est *vomer* ; LXX alii locis vertunt *שָׁרֶבֶת*, h. 1. indeterminate *שָׁרֶבֶת* דָּקָר ex Ps. 73 (74), 5 ; Iud. 9, 48 ; Ier. 46, 22 constat esse instrumentum caedentia arboribus inserviens, ergo securis, ut vertunt *Vulg.* LXX *Chald.* *Synn.* חַסְרֵת (etiam v. 21) et *ברְּשִׁתָּה*, *Vulg.* *ligonem et sarculum*, ambo a radice *חַסְרֵת* (*incidit, inscupit, aravil derivavit*, et aliquod agriculturae instrumentum designant. Mirantur tamen aliqui, duorum instrumentorum diversorum nomina fuisse tam affinia, aut potius identica, ideoque secundum *ברְּשִׁתָּה* vel *שָׁרֶבֶת*, quod ex Dent. 16, 9 *falsum* significare constat.

v. 21 « *Retusae itaque erant acies vomerum, et ligonum, et tridentum, et securium, usque ad stimulum corrigendum* ». Verte sic : Et inserviebat lima ad temperandam aciem omnis vomeris, et tridentis, et

securis, et liganis acuti. Sensus hunc iam habent *Anama*, *Calm.*, *Cler.*, sed non valuerunt totum textum, qui corruptus est, reconstruere. Eius disiecta et deformata fragmenta ex variis versionibus sunt colligenda.

Hebr. habet: וְהַרְחָה הַבִּזְרָה בְּבֵב לְמֹרֶשֶׁת וְאֶתְוִים וְלַטְלָשׁ קְלָנָן וְלַקְדּוּדִים וְהַרְחָה בְּבֵב quem textum *Vulg.* satis exacte reddit. Sed plura sunt, quae ilitum valde suspectum reddunt: 1) habent in eo quatuor קְלָנָן, sc. בְּבֵב, בְּרוּתָן, קְלָנָן, et terminus complexus לְטַלְשׁ קְלָנָן: 2) ante בְּבֵב pro בְּבֵב debetur esse stat. const. פְּנִירָה; 3) forma בְּבֵב explicari nequit; 4) ultima verba (*Vulg.* usque ad stimulatum corrigendum) sensu carent. — Iam ad singula descendamus. Pro radice פְּנִירָה significatio obtinens (*Vulg.* rotuosa) demonstrari nequit; e contra *Chald.* *Syr.* reddiderunt *limam*, quorum concordi testimonio aliorum conjecturae postponi debent (*Jar.*, *Male.*, *Anama*). Vox chald. in linguum latins transumpta est, et apud *Plin.*, *Varri.*, *Tert.*, « *scobina* » *limam* significat. — *Præterea* *LXX Chald.* legebant infinitivum נְהַרְתָּ, *ad accendit*; qui si acceptetur, excluditur suppositio quorundam, sequentius vocibus mire intendit repetitionem nominum instrumentorum, quae v. 20 recensebantur; quae suppositio causa fuit, eur critici illi textum restituere non valuerunt. — *Præterea* *Chald.* ordinem vocum invertit et, pro *תְּחִרְצָתָה בְּבֵב אֲתָם*, legebat *תְּחִרְצָתָה בְּבֵב אֲתָם*, *ad temperandum aciem omnis vomeris*. Literae parvae differunt, sensus est planus. — Tandem facere non possumus, quin, quod etiam *LXX Syr.* sensisse videntur, suspicemur, *תְּחִרְצָתָה בְּבֵב* latere nomen aliis cunisdam instrumenti. Hie autem sponte se offert correctio נְהַרְתָּ, a radice נְהַרְתָּ, quae praepositi de lapidibus praedicator. *תְּחִרְצָתָה בְּבֵב* videretur significare ligonem illum lapideidum, qui linea in maleum, illinc in acumen terminatur: *Germannica* « Spitzhacke ». Textus igitur hebr. restitutus hic est:

וְהַרְחָה הַבִּזְרָה לְחֹרֶשׁ אֶת בֵּבְיָה כִּי אֶתְוִים וְלַקְדּוּדִים וְהַרְחָה בְּבֵב.
Versionem supra adserimus.

Hinc v. 21 nequaquam continent repetitionem vel amplificationem eorum, quae v. 20 narrabantur, sed consequiam et complementum v. 19 et 20. Cum sc. non esset faber ferraris inter Israelitas, cum ipsi nominis ad instrumenta agricultura reficienda permitterent fabros ferrarios Philisthaeum adire, ipsi instantे bello aliquip, non omnia instrumenta agriculturae ope limae hellico usui adaptabant: vomerum, tridentem, securim, lapideidum ligonem. Vide exemplum Samgar *Iud.* 3, 31. Ergo licet Saul et Jonathan, soli gladium gererent et hastam, reliqui tamen Israelitae armis nequaquam erant destituti, licet armis Philisthaeorum longe imperfectionibus. Addi arcus et sagittas.

v. 22 « Cumque venisset dies proelii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saul et Ionatha, excepto Saul et Ionatha, filio eius ». v. 23 « Egressa est autem statio Philisthaeum, ut transcederet in Machmas ». Dicimus germanice: « Ein Posten wurde vorgeschoben bis an die Schlucht von M. » *כְּעִירָה* recte vertit *Chald.* *saltum*. Ille versus complet narrationem v. 17 sq., ostendens Philisthaeos etiam orientem versus processisse; simulque introducit narrationem cap. 14, quippe cum illa statione congressus est Ionathan. Finis constituenda

stationis is videtur fuisse, ut Hebrei ab adoriendi castris in Machmas positis arcerentur, et magis etiam, ut, quid Hebrei agerent, observaretur.

Cap. XIV v. 1 « *Et accidit quadam die, ut diceret Ionathas, filius Saul, ad adolescentem armigerum suum: Veni et transeamus ad statio-* *nem Philistinorum, quae est trans locum illum.* » *Hebr.* *quae est ibi,* *ex altera parte.* Locus ob saltus angustiam oculis distincte videtur poterat. Quae sequuntur usque ad v. 6, parenthesis instar intercinctur et quorundam, quae sequente narratione habentur, rationem reddunt. « *Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.* » Ille explicatur Saulis v. 17 ignorantia, v. 2 « *Porro Saul morabatur in extrema parte Ga-* *bba, sub malogramato, quo erat in Magron.* »

Iam de situ locorum Geba, Gabaa Beniamini, Gabaa Saulis nobis est disservendum. Et duo quidem extra quaestione versantur: Geba, quae est Djeba, opposita Machmas, proprie ingressum saltus Wadi Suwenti; et Gabaa Saulis, quam in colle nunc Tuel el Ful nuncupato sita fuisse ei, qui ipsam regionem exploravint, pronuntiant. Difficilemat parit Gabaa Beniamini, quae cum Gabaa Saulis identificari consuevit, ob eam, ut videtur, maxime rationem, quod Gabaa Saulis fuerit in tribu Beniamini, ergo apte potuerit vocari Gabaa Beniamini. Ast multiplex hinc nascitur difficultas, ut ipse recenissimus interpres *Clair* ad 13, 16 fateatur, « certissime textum esse obscurum, nosque vis quidquid Gabaa itineris intelligere ». Is modo Gabaa (ita *Hebr.*) cum Iomitha 13, 16 resedit, modo 14, 2 eastru habet in Gabaa. Ex Gabaa, quam Gabaa Saulis supponunt, horae itinere, intercelis salibus, a Machmas distante, speculator et 14, 16 distincte omnia, que in Machmas aguntur, vident, atque 14, 19 audiunt tumultum ib. exortum, non solum in confuso, sed prout « crescebat paululum et clarus resonabat ». Hinc Saul omnissime populus festinans 14, 20 ad locum certaminis, supponamus eos quam occisime eucurrisse, certe dimidia hora opus fuit, quo toto tempore Ionathas cum armigero solo suppomunt toti exercitu Philisthaeorum restituisse. Dein 13, 15 quid negotii acturus Samuel Gabaa Saulis ascendat, non perspicitur. — At perperam identitas statutor inter Gabam Saulis et Gabaa Beniamini. Nullo loco, quem de Gabaa Saulis agere constat, nomen Gabaa Beniamini usurpat: sed *Iud.* 19, 14; 20, 4 « Gabaa, *quaes* Beniamini », qui loquunt modis potius indicat, « Beniamini » non esse partem nominis proprii. Tota difficultas solvitur, si supponas candem esse Gabam Beniamini, quam Gebam, recteque *Vulg.* constanter vertere *Gaba*. Quam urbanus *Hebr.* in statu absoluto semper scribit *Geba* (13, 3; 14, 5; *Ios.* 18, 21; 21, 17; *4Reg.* 23, 8; *Zach.* 14, 10; *1 Par.* 6, 60 (45); *Is.* 10, 29), in statu constructo vel *Geba Beniamini* (13, 16; *Iud.* 20, 10; *3 Reg.* 15, 22), vel *Gibeath Beniamini* (13, 2, 15; 14, 16). — Unicum locum obitices nostrum versum 14, 2, ubi in statu absoluто eassertur Saul fuisse in *Gaba*; sed *LXX Chald.* *Syr.* vertunt appellative, et merito quidem: *morabatur in extrema parte collis*, quinvis collum Geba intelligi non negemus. Tam Saul igitur quam ionathan versabantur prope Gebam, ibi enim eas tra posuerant 13, 16. Sed ionathan obtinebat summitatem rupis Seno (14, 4 sq.), sicut Philisthaeum stationem habebant in summitate opposite rupis Boses (ib. et 13, 23); quae duae rupes non sunt individue unitae collibus pone easdem exsurgentibus, sed habent minorem aliquem salutum a tergo ipsarum ad illorum collum verticem ascendentem. Saul vero erat in extremitate ipsius collis Geba,

quae extremitas iam accuratus describitur : erat ipse sub malogramato, quae erat e regione Magron, e qua Magronem versus prospectus patebat : nam hunc quoque sensum praepositio **in** induere potest. Non dicitur Saul ipse aut malogramatus fuisse in Magron ; neque aliam Magron intelligi oportet, quam eam Is. 10, 28, nam licet ab hac tum Saul Philisthaeorum copias intercepatur, tamen in illam poterat prospicere.

« *Et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum* ». Haec verba inseruntur, quia vult nos s. auctor docere v. 3, non solum Saulem, sed etiam populum Ionathae factum ignorasse, quo explicentur v. 16 sqq. narrata. Non sine ratione effert s. auctor, salutem in Israel factam esse *inscio Saul*, qui antea 13, 12 credidisset, omnia fore desperata, nisi ipse tempestive Dominum placaret sacrificis. Quia iam eorum, qui cum Saul erant, mentionem fecit s. auctor, unum ex illis Achiam pontificem (de quo cf. dicenda ad 22, 9) speciatim commemorat, postea populi ignorantiam relaturus. — Illi mille viri, qui initio 13, 2 cum Ionatha Gebam obtinuerant, videtur appropinquantis Philisthaeis etiam esse dilapsi, ut fore nulli adhaerenter regi praeter sexcentos Galgalis collectos. v. 3 « *Et Achias, filius Achitob, fratrius Ichabod* (4, 21), *fili Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdotis Domini in Silo, portabat ephod* », sine articulo cf. 2, 28, i. c. fungebatur numero pontificis. Soli LXX, sed perperam, verba *sacerdotis Domini in Silo* non ad Heli referuntur, sed ad Achiam, ac si is in Silo residere conueverit. « *Sed et populus ignorabat, quoisset Ionathas* ».

v. 4 « *Eabant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde praerupti : nomen uni Boes, et nomen alteri Sene* ». v. 5 « *Unus scopulus prominens ad aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad meridiem contra Gabaa* ». Duo ascensus seu *transitus* (*Hebr.*) intelliguntur duo saltus latera, unum a Geba descendens, alterum in Machmas ascendens. Quomodo duo scopuli ex lateribus prostrent, discimus ad v. 2. Scopuli ipsi omnino praerupti sunt, nec nisi a tergo, ubi cum salutis latere cohaerent, ascensus possibilis est vel descensus, qui ex opposito latere, interiecto scupulo videri non potest. Hinc reapse v. 11 sq. Philisthaei Ionatham et armigerum non conspicati sunt prius, quam illi, pone rupem Sene iam delapsi, pone rupem Boes ascendere properabant. — *Promiens* : verte *constitendum secundum dicta ad 2, 8*.

v. 6 « *Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum* ». Resumitur narratio inde a v. 4 interrupta facinoris Ionathae. Repetuntur Ionathae verba prius relata, sensu prorsus identico, sed levi verborum differentia admissa, qua moneamur, eiusmodi dicta non servili fidelitate in scrip-

tura describi consuevisse : quod ceteroquin etiam de se evidens est. « *Si forte faciat Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis* ». *Hebr.* : *non est Domino restrictio, ut salvet* ; aequa valet Dominus efficer salutem per paucos vel imo duos, quam per multos. *Si forte faciat Dominus pro nobis* constructio est elliptica : Tentandum nobis est, annon forte etc. Celebrat *Duguet* Ionathae fiduciam, qui unico gladio et lancea instructus (13, 22) ausus sit Philisthaeorum aggregi agmina, quae Saul dilabente a se populo tantopere formidaverat. Ea fiducia nititur explicito motivo divinae omnipotentiae, sed ignorat adhuc, decreveritne Deus sua omnipotentia nunc ipsum uti, idque quoasit signo v. 10 perspicere studet. v. 7 « *Dixitque ei armiger suus : Fae omnia, quae placent animo tuo ; perge, quo cupis, et ero tecum, ubicumque volueris* ».

Sensus est satis clarus, sed lectio intricata. LXX pro **וְלֹא** legebant **בַּל** **כִּי** **בְּנֵה** **בְּנֵה** **לְשָׁמֶן**, *fac omnia, ad quae cor tuum inclinatur*. Lectio haec longe facilior est, cui suffragant Prov. 2, 2 ; Ps. 118 (119), 112 ; Ind. 9, 3. Verum **בְּנֵה** et **לְשָׁמֶן** textus reliqui omnes reddunt. *Syr.* **לְשָׁמֶן** punctatab **לְשָׁמֶן** *rude*. *Masor.* **לְשָׁמֶן** optime ut dativum commodi interpretabilior, immo ut synonymum sequentis *sicut cor tuum* (*Vulg.* *ubiquecumque volueris*), ergo : Vertere, quod placet, et ego ero tecum secundum placitum tuum ; quod reddit in *Vulg.* versionem. Alii : « *verte grossus* », supplete *Ges.* « *illuc* », *Furst* « *linea* ». *Vel possemus* **לְשָׁמֶן** interpretari ad instar expressionis Ps. 21 (20), 12 ; 1 Par. 21, 10, ergo : *Cogita tibi, consilium ini, quod vis*. *Sed Vulg.* versio preferenda. — Ultimum : vocem *LXX* a prioribus separant : *Sicut cor tuum, ita cor meum*, ubi non sunt censendi aliud a *Hebr.* legisse, sed lecto solum explicasse.

v. 8 « *Et ait Ionathas : Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, » v. 9 « *si taliter locuti fuerint ad nos : Manete, donec veniamus ad vos ; stenus in loco nostro, nec ascendamus ad eos* » . v. 10 « *Si autem dixerint : Ascendite ad nos ; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum* » . Ionathas, ut hostes adoraretur, a Deo instigabatur. Ut autem discerneret, essetne hic impulsus divinus, signum ipse statuit ex ore hostium petendum, more Hebraeorum (cf. Gen. 24, 43 sq. ; Ind. 6, 36 sqq.), quo obtento ipse Dei fiducia plenus aggressurus erat atque devicturus hostes. Cf. *Sanet*. Fatendum utique est, Ionatham illud statuisse signum, quod probabilissime eventurus esset. Non erat sane expectandum, Philisthaeorum excubias, conspicitis duobus Hebraeis, locum munitionissimum esse deserturos atque in vallem arduo clivo descensuros, quo tempore facile illi Hebrei in locum tutum se possent recipere ; Philisthaeorum erat, hostem fixis vestigiis expectare atque ad ascendendum pellicere. Remuneravit autem Deus simplicem Ionathae fiduciam insigni Victoria. « *Verba haec anim**

In Deum confidentis : cum autem ita confideret, ipse non est frustratus (Theodoret.). v. 11 « Apparuit igitur uterque stationi Philistinorum », emergentes ad radicem rupis Sene in valle, « dixeruntque Philistini : En Iudei eriduntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant », sive pugnae ineundae, sive deditiois facienda causa. *Hebrei* sine articulo, ergo : duo aliqui *Hebrei*. v. 12 « Et locuti sunt viri de statione ad Ionatham et ad armigerum eius, dixeruntque : Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem ». Expressio aut est minatoria (*Ios.*, *Greg.*), possibiles supponens ascensum rupis, aut illusoria (*Cler.*) : « Ludibrio se habitueros esse sperabant, neque enim putabant, illac rupem posse ascendi ». Vel etiam est irrisoria invitatio ascendendi, facienda deditiois causa. « Et ait Ionathas ad armigerum suum : Ascendamus, sequere me, tradidit enim Dominus eos in manus Israel ». v. 13 « Ascendit autem Ionathas manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum. Itaque alii cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat, sequens eum ». Obstupefacti videntur esse Philisthaei, sive quod dedicationem expectaverint, non pugnam ; sive quod percussi sint audacia loco iniquissimo adreptantium, accedente simul terrore coelitus incusso ; sive, ut explicit *Ios.*, quod Ionathas, sub rupe Boses Philisthaeorum observationem eludens et pone rupem ascendens, illos a tergo adortus sit. — Piel verit Wellh. « penitus interficiebat » ; complebat Ionathae opus, et leviter ab illo vulneratos consciendo, et intactos relictos trucidando. v. 14 « Et facta est plaga prima », quoa distinguuntur a secunda v. 20, « qua percussit Ionathas et armiger eius quasi viginti virorum, in media parte ingeri, quam par bous in die arare consuevit ». Vertendum secundum LXX in iaculis, (et in lapidibus iactis), et in silicibus campi. Efferuntur arma valde insufficiencia (cf. 13, 22), quibus tantam victoriam Ionathas assecutus sit.

Vulg. explicat textum Hebr. Chald., qui concisior est: *quasi in dimidi sulco inter geri ari*. Quod sibi ita fingunt Keil, Clair: *tanto terror perculos fugie se dedisse Philistiniis, omnes viginti viri in una linea recta, longitudini dimidi intergeri interfecti reperti sunt: res profecto mirabilis!* Syr. pro **בְּהַרְכֵּשׁ כָּבֵד שָׂאֵל** legebat **סְעִיר לְפִיכָּה וְנֹכֶחֶת שָׂאֵל**, *sicut lapidicis (vel lapidicis) et sicut dacentes iuga bux in aro.* Apud LXXC recte Then., Wellh. expungit membrum et in *lapidicis iacte*, tamquam insutali ~~explicationem~~ explicationem, e margine in textum transumptam. LXX, ut reliqui omnes, vocem NTU in fine sententiae legebant. Initio media inter Syr. et Hebr. uectabunt lectio **בְּהַרְכֵּשׁ כָּבֵד שָׂאֵל**; post eam paulo altera a Hebr. legebant.

v. 15 « *Et factum est miraculum* », *Hebr. perturbatio* , in castris per agros; sed et omnis populus stationis eorum, qui erant ad praedandum, obstupuit; et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo ». Perturbatio Dei (*Hebr.*) significat maximam perturbationem, quae etiam, quia talis, a Deo cerebrum immissa. Illa perturbatio facta est in castris,

per agrum dispositis, *sicut* (ita recte *Then.*) facta fuerat in toto populo stationis in rupe Boses collocatae; et vastatores (cf. 13, 17 sqq.) perturbati sunt etiam ipsi. Terram conturbatam esse, minime significat (*Clair*), terrae motum umquam habuisse. v. 16 « *Et resperxerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens.* »

Solum **הַבְּזִין** habent *Hebr.* *Vulg.*, solum **הַמְּהֻנָּה** *LXX* *Syr.*, utramque vocem *Chald.* — **יְיַצֵּר** omnes habent, exceptis *LXX*; primum **הַלְּבָן**, quod tamen evidenter suppleri debet, soli servarunt *Vulg.* *LXX.* — *Prostrata, Hebr. diffusens.*

v. 17 « *Et ait Saul populo, qui erat cum eo : Requirite et videte, quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est, non adesse Ionatham et armigerum eius.* » Saul illico supponit, aliquem ex suis tumultus causam fuisse; magis videtur fuisse sollicitus de neglecta propria auctoritate (cf. v. 4), quam de mirabili salute a Deo effecta. v. 18 « *Et ait Saul ad Achiam : Applica arcam Dei. Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel.* »

Ita Hebr. Vulg. Chald. Sgr.; et contra LXX (cf. *Ios.*): *Admove ephod. Quoniam ipse portabat ephod illis diebus coram Israel. Ros* critice vix dirimini potest. Pro *arca* haemilitant rationes: analogia prioris prolixi *Maspheha* facti cap. 4; ipsa verba *LXX*, quae iam habentur v. 3 et *ideo* videtur redundare. Pro *ephod* urgurter silentium v. 3 de *arcæ praesentia* et *mentio ib.* *ephod facta*; difficultas *arcæ*, tam perturbans temporibus et hostibus totam late regionem populantis, ad tam exiguum *Saulis* exercitum et *Cariathianis* transportandas; *improprietas vocis appicta* si ad *arcam* referatur, dum eadem vox alias (23, 9; 30, 7) de *ephod usurpatur*, et generatim non ab *area* sed per *ephod* oracula peiti conseruerintur. Accedit *mentio ephod apud Chald.* v. 19.

v. 19 « Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum, crescebatque paulatim, et clarus resonabat ». Hebr. tumultus, qui erat in castris Philisthaeorum, ibat extendens atque augmentans. His clarius explicatur relatio v. 19 ad v. 16. Ibi tumultus initia describabantur, hic illius progressus ; si ibi vocem *הברנה* cum Hebr. *Vulg.* expungas, quae facile origine potius deformatione vocis *הברנה*, habebis ibi descriptionem perturbationis in statione, hic in ipsis castris exortae. « Et ait Saul ad sacerdotem : Contrahe manus tuam », ab arca vel ab ephod, vel etiam absolute : Desiste. Quippe, neque expectato oraculo, evidens iam erat, quid facto opus esset (*Malv.*). In Saulis tamen agendi ratione praecipitatio quadam cernitur : praeceps est in oraculo consulendo, praeceps in eius responso non expectando. v. 20 « Conclamavit ergo Saul et omnis populus, qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis, et ecce versus fuerat gladius uniuscuiusque ad proximum suum, et caedes magna nimis ». Pro conclamavit.

vit melius congregatus est, cf. dicta ad 13, 4. ; LXX ωἴηται corruptum ex ἔνεβρηται. Factum cum Ios. ita explicari potest, quod Philisthaei, sibi invicem non satis noti nulloque certo signo ab Hebreis distincti, in tam subita perturbatione suos fugientes ab hostibus in sequentibus discernere non valerent, idque tanto minus, quod nequam suspiciari poterant, ex tanto numero duos tantummodo sibi esse infensos. v. 21 « Sed et Hebrei, qui fuerant cum Philisthiis heri et nudi iuxta terram, ascenderant que cum eis in castris, reversi sunt, ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Ionatha », v. 22 « Omnes quoque Israelitae, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthaei, sociaverunt se cum suis in praetorio, (et erant cum Saul, quasi decimam millia virorum) ». Ultimum incisum ex LXX (cf. Ios.) in Vulg. penetravit.

Pro *Hebrei*, LXX γενδρόν servi : quod esse mendum, patet ex oppositione ad *Israel*, qui erant cum *Saul* et *Ionatha*. Constructio hebr. non penitus est ad linam exacta, non ideo tamen corrigenda. Reversi seu conversi sunt : versiones omnes pro legebant וְכָבֵד וְכָבֵד.

v. 23 « Et salvavit Dominus in die illa Israel », Dominus per fidem Ionathae, non Saul. Pulchre haec verba narrationem proelii concludunt.

« Pugna autem pervenit usque Bethaven » (13, 5) ; verbotenus transit in Bethaven ; non dicitur ulterius non processisse, sed locus indicatur, prope quem v. 26 erat saltus. v. 24 « Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa; adiuvavit autem Saul populum, dicens : Maledictus vir, qui comedet panem usque ad vesperam, donec uincatur de iniunctis meis. Et non manducavit universus populus panem ». Formam טבנַה derivarunt Vulg. Syr. a טבנַה appropinquare ; Masor. Chald. a טבנַה premere, quod melius quadrat contextum. Sensus est, viros Israel eo die pressos seu oppressos esse inedia eamque consequente fatigatio, cuius inde rei assignatur ratio, vertenda plusquamperfecto : Adiuvaverat enim Saul etc., et non manducaverat universus populus panem. Hie sensus cum non sit ita difficultis, non est, cur textu Hebr. Vulg. Chald. Syr. deserto, textum LXX toto coelo distante praferamus. — Ex. h. l., uti ex sexcentis aliis, colligitur, comedere panem idem esse atque comedere aliquid.

Iam Patrum aetate nata est quaestio, sine illud Saulis edictum laudandum, an reprehendendum. Laudat Ps. Ambr. (17, 645) : « Bonus », inquit, « plane rex, qui hostes suos non tam armis, quam devotione vicebat, et plus dimicabat religione, quam telis ». Repugnat Chrys. (49, 143), iuramentum idem affirmans opus esse diaboli. Illius sententiam tuer cum aliis Abul., huic accessere Lyr., Sanct. Primum igitur adverte, Ps. Ambr., sicut etiam Tert. (2, 967), non scripture interpres agere, sed ieiunii laudatores, unde corum hac in questione

auctoritas tanta non est. LXX sane, in lectio quidem a recepta diversa, Saulis factum graviter reprobarunt, quorum sententiam his verbis suam fecit Ios. : Saul, « sive propter gaudium victoriae adeo inopinatae, sive ex inscitia in grave incidit malum et multorum reprehensioni obnoxium. Volens enim semet vindicare, meritasque poenas a Philisthaeis repetere, etc. ». Ex quibus licet fortasse inferre, Hebreorum a. C. traditionem Saulis factum condemnasse. Actus sane devotionis et religionis, ut plurimum, est ieiunium : at, utrum ex tali motivo a Saul fuit indicut, disputatur, et probabilior est los. expositio, fuisse indicut, ex affectu vindictae et impatientiae, Saul, ut alias, praecepit, agentem et praecedens pusillanimitas peccatum iamam redimente praeumptione. Neque dicas, si Saul peccasset, debuisse illum, non Ionathan, sorribus v. 42 rem pronuntiari : non de eiuslibet generis peccato ibi queratur, sed de peccato neglectae regiae prohibitionis, quae, licet ex iniquo profecta motivo, legitimam tamen obtinuerat vim ; cuius neglectus reus fuit non Saul, sed Ionathas. Saulis prohibitionem v. 29 certe reprobat Ionathas, cuius sensus et actus per totum hoc caput communiantur.

v. 23 « Omneque terrae vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri ». v. 26 « Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum ». Timebat Saulem vindicem eius, quod ipse pronuntiaverat, iuramenti ; timebat maledictionis, a legitimo rege pronuntiatae, vadem Deum.

v. 23 difficultatem habet. Primum pro omnibus populus terrae, Hebr. Syr. habent omnis terra ; sed populus primitus textu hebr. infinito, colligitur, non solum ex Chald., qui ei textui presse adhaerere consuevit, vocemque retinunt, sed etiam ex LXX apud quos טבנַה depravatum erat in טבנַה, unde verterunt et omnis terra prandebat. — Dein textus, uti apud Hebr. Chald. Syr. exstat, aliquia tautologia laborat, bis enim dicuntur populus in saltum venisse ; alterum et contra, quod secundum Hebreorum narrandi modum omnino exprimi deberet, sc. populi exhaustio, silentio premitur. Nam LXX diversam habent lectio in : וְיָרַא הָרָה וְיָרַא בְּאֶרְצָה legebant וְיָרַא הָרָה וְיָרַא בְּאֶרְצָה. Unde efficietur, primum, literas בְּאֶרְצָה ad textum pertinere, non esse ita certum ; secundo, lectio וְיָרַא negare esse certam. Potuit haec facilime nasci ex simili aliqua lectio, ex quod illico v. 26 vox יָרַא indubie occurrat. Nosque putamus corruptam esse ex טבנַה cursu exhaustus est, quod v. 28 habetur (* Defecerat autem populus *) in inciso, quod ib. redundant, eoque delapsum esse videtur ex nostri loci margine, cf. v. 31. Ergo textum ita restituimus : וְיָרַא הָרָה וְיָרַא בְּאֶרְצָה, etc. : Omnisque populus terrae lassatus erat, eratque mel super faciem agri. Vox יָרַא semel in טבנַה depravata, nihil magis obviuum erat, quam ad instar vocis יָרַא in v. 26 literas בְּאֶרְצָה ad textus acutum sensum revocaret. Oblicies, in hac textus reconstructione non intelligi, cur v. 26 טבנַה saltus cum articulo legatur, non enim prius salutis mentio recurrerat. Respondeo, habitam esse implicitanu mentionem illis verbis eratque mel super faciem agri, etenim mel sylvestre nonnisi in sylvis super faciem agri repeiri, quis ignorat ?

v. 27 « Porro Ionathas non audierat, cum adiuvaret pater eius populum, extenditque summiteat virgae, quam habebat in manu, et intin-

xii in favum — ita omnes versiones, et cf. *Cant.* 5, 1 — « mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi eius ». Reffectis viribus corporis, clarius reluxerunt oculi (*Clair*). Virga illa potuit esse sceptrum, quale imperatores gerebant, alter enim a Saul 13, 2 imperator Ionathas erat. *Illuminati sunt* : cum keri concordant omnes versiones, excepta *LXX*.

v. 28 « Respondensque unus de populo, ait : *Iure iurando constrinxit pater tuus populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem hodie. Defecratur autem populus* ». Ultima verbi commodum sensum non praebent, sive ea ex ore viri Ionathae respondentis sive, ex ore Saulis, sive ex ore s. narratori (*Vulg.*) profecta esse supponas. Quomodo ea ex v. 23 hue delapsa sint, diximus ib. v. 29 « *Dixitque Ionathas : Turbavit pater meus terram ; vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto* »; v. 30 « *quanto magis, si comedisset populus de praeda inimicorum suorum, quam reperit ? nonne maior plaga facta fuisset in Philisthiis ?* » *נָגַף turbavit* hinc *Chald.* etiam *infortunium induxit*, quae significatio h. l. et Gen. 34, 30 optime quadrat. Fortasse non ita laudandus Ionathan, quod patrem publice reprehenderit.

v. 31 « *Percusserunt ergo in die illa Philisthaeos a Machmis usque in Aialon* ». Male *Syr.* haec cum prioribus iungit : *Profecto percussissent hodie Philisthaeos a Machmis usque in Aialon*. Opus dei summatis recensetur, ut intelligatur, eo peracto (iter est ad minimum quinque horarum), quantopere fuerit populus exhaustus cibique indigens. Aialon, nunc Yalo, civitas Danitica Ios. 19, 42, levitis concessa 21, 24; cf. 10, 12. « *Defatigatus est autem populus nimis* ». v. 32 « *Et versus ad praedam, tulit oves et boves et vitulos, et mactaverunt in terra ; comeditque populus cum sanguine* ». Versus est, *Chald.* respexit, *Syr.* inhanit, sc. ab *נָגַף extendere* : extendit se, i. e. irruit. Debetax ex lege sanguis e loco superiore in terram defluere, ibique humo tegi : *Lev.* 3, 17; 7, 26 sq.; 17, 10, 14; 19, 26; *Deut.* 12, 16, 23 sq.; *Ez.* 33, 23. Vide, quantum obfuit praeceps Saulis adiutorio : et victoriam restrinxit v. 30, et occasio fui violatae legis. v. 33 « *Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait : Praevaricati estis ; volvite ad me iam nunc saxum grande* ». Iam nunc : melius *hue נָגַף* quod legebant *LXX* loco *נָגַף*. v. 34 « *Et dixit Saul : Dispergimini in vulnus, et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vesimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine* ». Quibus impedivit Saul, ne praavaricatio continuaretur. « *Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem, et occiderunt ibi* ».

LXX pro *bovem suum in manu sua habent id quod (habebat) in manusua*, ergo *תְּנִשֵּׁב pro תְּנִשֵּׁב* : levis est differentia et, quas sensum minime afficiat. Lectionem LXX praeferendam censem *Then.*, quod v. 32 praeter boves, etiam oves et vituli nominatur : sed neque hoc argumentum preemptiorum est. — Cum sero in eum locum advenissent Hebrei, neque multi simul in lapide, qui hominum manibus fuisset ad voluntus, mactare possent, mirum non est, rem ad multam noctem esse protrahit ; non ergo cogimur cum *Wellh.*, *וְלֹא* ex *LXX* auctoritate omittere.

v. 35 « *Aedificavit autem Saul altare Domino ; tuncque primum coepit aedificare altare Domino* », alia postmodum. Nolim cum *Malo*. supponere, eundem lapidem, super quem v. 34 mactata leguntur animalia, poste in altare fuisse consecratum : non solebant apud Israëlitas, quae profano iam usui inservierant, in divinum poste cultum consecrari. Gratuito item asserit *Duguet*, illud altare non sacrificii offerendi causa, sed instar monumenti esse erectum : post partas victories solebant offerri sacrificia, quem morem certe Saul non neglexit (cf. 11, 15; *Iud.* 11, 31). Utrum eo usque processerit Samuel, nescimus : videtur eum Saul fere negligisse, nusquam enim Samuel consultitur, cf. v. 48, 36 sqq.

v. 36 « *Et dixit Saul : Irruanus super Philisthaeos nocte, et vastemus eos, usque dum illucscat mane, nec relinquamus ex eis virum* ». Consilium proponit, quale 11, 11, usui fuerat : dum ars bellica adhuc versabatur in cunabulis, multae victoriae nocturnis terroribus comparabantur, quod et hostis vigilarum esset incurius, et res clamore magis quam armorum acie aut ducum ingenio ageretur. « *Dixitque populus : Omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos : Accedamus hic ad Deum* ». Huc, i. e. ad altare recens extrectum vel ad arcum, si illa aderat (*Sanet.*). Videtur Victoria, quod v. 30 edixerat Ionathan, nequaquam fuisse absoluta (*Clair*) : et tamen idipsum intenderat Saul populum adiuvans ; nunc commissum errorem corrigere studet. v. 37 « *Et consulit Saul Dominum : Num persequar Philisthiim ? si trades eos in manus Israel ?* » Caute utraque ponitur quaestio, nam *Jud.* 20, 23 Israëlitae, sola priori positâ et affirmata, fuerant victi. « *Et non respondit ei in die illa* ». Ex sqq. patet, causam denegati oraculi reapse fuisse Ionathae transgressionem, licet ex ignorantia fuerit commissa : oraculum sortium non fuit mutum in transgressor designando. Sed rursum hoc totum medie fuit punitio impunitiae Saulis et presumptionis, qua populum adiuvaverat, consists in eo, quod Deus effectus commissi erroris non cohereret, et ita tandem completam hostium stragem impossibilem redderet, cf. v. 46. — v. 38 « *Dixitque Saul : Applicate hoc universos angulos populi : et scitote et videite, per quem acciderit peccatum hoc hodie* ». Saul illico pro certo supponit, peccatum aliquod admissum causam esse denegati divini responsi. Tribus, quae secus

sceptra שְׁבִתָּה, nunc *lapides angulares* בָּזָה vocantur, uti etiam Iud. 20, 2; Is. 19, 13. *Per quem* habet *Vulg.* Chald., *per quod* Hebr. Syr., LXX in utrumque sensum trahi potest. Non est supponenda diversitas lectionum, cum vel ipsa lectio *per quod* non alium ex contextu sensum habere possit, nisi *per quem*: oraculum appellabatur praeceps ad inventendum, quis offensor, non quae offensa esset. v. 39 « *Vivit Dominus, salvator Israel, quia si per Jonatham, filium meum, factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ci de omni populo* ». Nullus de Jonathae innocentia dubitat (*Clair*). Appellatur iam solemniter *salvator Israel*, in cuius salvandi virtute tam exiguum antehac reponerat fiduciam rex. De propria innocentia ne minimum quidem dubitat. Cur vero Jonatham praeceteris nomine effert? Videtur ne regi quidem ullum de innocentia Jonathae fuisse dubium, et sensus verborum esse hic: Quia, si vel per Jonatham factum est, reus morte utique morietur (*Ios.*) ; quanto magis gregario cuiilibet militi moriendum erit, si ipse reus inveniatur! v. 40 « *Et ait ad universum Israel: Separamini vos in partem unam, et ego cum Jonatha, filio meo, ero in parte altera* ». Saul, de sua filiique innocentia omnino securus, hanc prius voletabat divino oraculo stabilire, quo efficacius postea iudicis ipse partes ageret, in hoc imitatus Samuels cap. 12 exemplum, sed eheu quam dispar effecitu! Fortasse supponebat, Deum esse infensum ob easam a populo cum sanguine carnem, cuius naevi se filiumque insontem sciebat. « *Respondit populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac* ».

v. 41 « *Et dixit Saul ad Dominum Deus Israel: Domine Deus Israel, da indicium* ». Sequentia sola LXX primitus habebat, unde posteri in *Vulg.* transierunt: « *Quid est, quod non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Jonatha, filio meo, est iniurias haec, da ostensionem; aut si haec iniurias est in populo tuo, da sanctitatem* ». Sequentia omnes habent: « *Et deprehensus est Jonatha et Saul, populus autem exiit* ». Cf. dicta ad 10, 20.

Quid est illud *indicium*? Chald. Syr. cum Hebr. legebant בְּרִית, quod perfectio nem sonat, sed commodum h. l. sensum non offert. Ges. (Thes. 1490), Furst illud contractum censem ex אֶחָד vel בְּרִית, ergo *da paria*, in iaciendis sc. sortibus; qui sensu radici בְּרִית indubio competit, licet Ex. 26, 21; 36, 29 non indubio exprimatur. Ubi *Vulg.* habet *ostensionem et sanctitatem*, ibi LXX habent δέξιος et δεσμότης. Qua altera voce LXX vertere conseruerunt vocem בְּרִית, unde rursus sequitur δέξιος: esse אֶחָד. Hinc textus hebr., quem LXX prae oculis habebant, ita restituunt: « *Domine Deus Israel, quid est, quod non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Jonatha, filio meo, est iniurias haec, Domine Deus Israel, da Urin; aut si haec iniurias est in populo tuo, da Thummim* ». In fine videtur textus hic fuisse אֶחָד? בְּרִית בְּרִית (cf. Os. 10, 10), ubi LXX iuxterunt אֶחָד בְּרִית, derivantes הַר הַר בְּרִית. Secundum haec sortium oraculum datum esset mediante Urin et

Thummim, ita ut prodeunte Urin carperetur Saul vel Jonathas, prodeunte Thummim populus. Speciosa utique haec lectio est, quippe quae nos de Urin et Thummim usum, de quo tam parum sciimus, perspicue edoceat; tamen ob eam ipsam rationem non sine cautione recipienda. Solfida vero probabilitate tanto minus desistitur, quod aliquam a *Vulg.* confirmationem accipere videatur; nam *indicium* satis facile ad revocatur, nequaquam הַר בְּרִית vel הַר בְּרִית. Ad hanc explicacionem cf. *Houb.*, *Calm.*, *Then.*, *Wellh.*

v. 42 « *Et ait Saul: Mittite sortem inter me et inter Jonatha, filium meum* ». Addunt LXX: *Quem deprehenderit Dominus, morietur. Et dixit populus ad Saul: Nequaquam fiat verbum hoc. Et praevaluat Saul super populum, et miserunt sortem inter Saul et inter Jonatha, filium eius.* « *Et captus est Jonatha* ». v. 43 « *Dixit autem Saul ad Jonatha: Indica mihi, quid feceris. Et indicavit ei Jonatha, et ait: Gustans gustavi in summitate virgae, quae erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior* ». Paratum ad mortem animum his exprimi censem *Ios.*; potius exprimuntur aliquas de severitate sortis querelae, uti habet Syr.: *Propter hoc ego moriar?* v. 44 « *Et ait Saul: Hac faciat mihi Deus, et haec addat, quia morte morieris, Jonatha* ». v. 43 « *Didicisse populus ad Saul: Ergone Jonatha morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est. Vivit Dominus, si occiderit captillus de capite eius in terram* », — i. e. nequaquam cadet etc.; si particula est iramente negativa — « *quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonatha, ut non moreretur* ». Videntur supponere Ew. Wellh., populum substituisse alium quedam, qui loco Jonathae moreretur; sed הַר non solum de stricta substitutione usurpatur. v. 46 « *Recessisse Saul, nec persecutus est Philisthim; porro Philisthim abierrant in loca sua* ». Praceps iuramentum ediderat Saul, quo magis strenue populus insequeretur Philisthacos: eiusdem iuramenti effectus fuit, ut tempus pretiosum inutiliter consumeretur, et ita hostes impuniti abirent. Dein Saul etiam ideo fortasse substitui, quod oraculum ad quaestionem v. 37 positum tandem non obtinuerit. Neque praecepitis iuramenti omissa impletio fiduciam illi addebat, quidquam tentandi.

Priusquam hanc narrationem dimittamus, in qua prima Jonathae mentio habetur, invat de illo pauci notare. Imotuit is nobis vel maxime tamquam *amicus David*, ab eo vivus singulariter dilectus, et mortuus speciali encomio celebratus. Cave tamen ne temeriter et quidam tenus effeminatum animo tuo illum depingas: vir fuit, robustus et corpore et mente. Spirabit fidem et fiduciam in Deum salvatorem Israel: hac tessera Machmis dimicavit. Ipse apud patrem unius factionis princeps, quam theoreticam vel prophetarum appellabis: nam factioe ibi erant omnino; dum altera factio, commodis domus Saul unice intenta, ipso regere utebatur et capite et instrumento. Ipse in aula primus eorum consiliorum patro-

nus, quae Samuel constanter inculcaverat, quae post continuam prophetarum seriem, difficillimis temporibus, novissimi Isaías et Ieremias apud reges propagauerunt, queaque haec una formula consignantur: Dominus salvator Israel. Ipse, primogenitus regis, divinum transferendi a domo Saul regni decretum aequo et generoso suscepit animo; Davidem, quanto magis in eo coelestia charismata et divina praecordatio elucerent, tanto sincerius adamavit et fovit. Ipsé prae ceteris utique suggestit consilium sororis Davidi nuptui dandae, velut plenissimam viam qua, domo Saul quam minime obscurata, imperium in virum a Deo designatum transferretur.

Sequentibus verbis *Et Saul capessivit regnum super Israel* (*Hebr.*) incipit universalis quidam conspectus regni Saul, tam prius narrata quam sequentia complectens. Ergo non est vertendum cum *Then.*: « hic est modus, quo Saul regnum nactus est »; neque cum *Keil*: « Et Saul capessiverat regnum »; neque cum *Clair*: Nunc tandem de facto evasit rex, cum iure iam ante fuisse. v. 47 « *Et Saul, confirmato regno super Israel, pugnabit per circuitum adversorum omnes inimicos eius* », i. e. Israëlis, « contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philisthaeos; et quocunque se verterat, supererabat ». Ita recte *Vulg.* veritatem reum constituebat, ergo vincet; *LXX* γεννητον salvabatur. v. 48 « *Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum eius* ». *Hebr.* Compárovit robur, omnis generis adminicula comparavit, imprimis utique exercitum; habebat enim iam permanenter aliquas secundum copias (cf. 13, 2; 24, 3 etc.), certe armorum defectum (13, 19) ample supplevit. Largiore illum expressionis sensum habes *Num.* 24, 18 « *Israel autem faciet robur* » (*Hebr.*). Bellum contra Amalec omnino idem est, quod cap. 45 narratur. De Soba cf. 2 *Reg.* 8, 3; verisimiliter rex Soba tum principatum totius Syriae, etiam Damasci, obtinebat: nam Saulem prope Euphraten processisse, credibile vix est, cum ali hostes enumeratis omnes proxime circum terram sanctam habitarent, et propter Philisthaeos longinquæ expeditio suscipi vix posset. v. 49 « *Fuerunt autem filii Saul Ionathas, et Iessui, et Melchisua* ». Recensit hellicis Saulis expeditionibus, iam enumerantur ii omnes, qui aulae eius aut munimento fuere aut ornamento: filii, filiae, uxori, dux militiae.

Inter filios primus ubique recensetur Ionathas, qui, quod etiam dignitate proxime ad patrem accesserit (13, 2), utique natu maximus erat. Reliquorum nomina h. l. sunt Iessui et Melchisua, *Syra* supplente *Eschboschul*, 31, 2 narrantur occidisse in monte Gelioe Abinadab et Melchisua, sed prioris loco *Syr.* scribit Iessui; superstes remansit 2 *Reg.* 2, 8 Isboseth (*Syr.* *Eschboschul*). 1 *Par.* 33, 9, 39 recensentur Melchisua, Abinadab (*Syr.* Iessui), Esbaal (*Syr.* *Eschboschul*). 1 *Reg.* 31, 6 occidisse dicuntur nonnisi tres filii Saul: ergo idem est Abinadab, qui Iessui, licet nominum nexum non perspicimus. Esbaal vero, seu corrupte *Eschboschul*, idem est, atque Isboseth, voce נִזְבֵּן ignominia, uti alias (cf. *Os.* 9, 10; 1 *Par.* 3, 34; 9, 40), in locum

vocis יִבְשֵׁת, quae simul nomen idolii erat, subintrante. Isboseth vero h. l. in textu recepto ignoratur, sive quod eius nomen incuria amannescum excederit, sive quod initio regni Saul minor actate atque armis gestandis impar, sive quod nondum natus fuerit.

« *Et nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitae Merob, et nomen minoris Michol* », v. 50 « *Et nomen uxoris Saul Achinoam, filia Achimaicus* ». Sensus obvius est, hanc fuisse matrem liberorum recensitorum, et unicam eo tempore Saulis uxorem. Non tam uxorius erat Saul, quam David. Ceterum inde etiam eluet, Saulem, iam provectionem aetate et frigidorem, regno esse potius; animus illi erat ad ambitionem prionior, quam ad luxuriam; inquietus, suspiciosus, invidus, irascibilis, qui aliorum consortium aversaretur potius, quam requireret; forte Isboseth ex alia uxore, quae regina non esset, natus est. « *Et nomen principis militiae eius Abner, filius Ner, patruelis Saul* ». Cf. 9, 1. Saul summam rei militaris cognito commisit, uti etiam David Iobao, quo arcuus sibi exercitus devinciretur; ceterum nucleus, uti ita dicam, exercitus certe Beniaminitis, et imprimis cognatis regis constabat. v. 51 ostendit, quomodo Ner fuerit patruelis Saul: « *Porro Cis, fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel* ». Corrigendum cum *keri*: *Porro Cis* pater Saul, et *Ner*, pater Abner, filii erant Abiel; secus *filius Abiel* referetur ad Abner, quod falsum est. v. 52 « *Erat autem bellum potens aduersum Philisthaeos omnibus diebus Saul. Nam* » — melius quare — « *quemcumque viderat Saul, virum fortis et aptum ad proelium, sociabat eum sibi* ». Hic versus quasi notam distinctivam regni Saul, comparatione priorum temporum, efficit: bellum constanter strenue gereretur, eo maxime quod Saul cohortem aliquam permanentem et valentissimam secum haberet. Implevit ipse id, ad quod fuerat 8, 20 a populo expostulatus: « *Egredieatur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis* ». Verba *omnibus diebus Saul* absolute de tota Saulis vita esse intelligenda, patet ex narratione ad mortem eius individue continuata.

Eiusmodi vir fortis certo erat David 18, 2. Perperam tamen adstruit *Then.*, s. auctor h. l., seposito codice Historiae Saul, primum iam versum Historiae David descripsisse, deinceps ad alterum codicem revorsum, cap. 15 descripsisse. Intima est conexio inter bellum Philisthaicum et formationem permanentis exercitus. Huius occasio fuere, non bella longioribus intervallo contra alias nationes inita, sed bellum fere continuum contra Philisthaeos incumbens. Rursum formatio permanentis exercitus insignis fuit eventus regni Saul, et vere dignus, qui specialius efficeretur.

3) Saul ob inobedientiam bello Amalecitico admissam relictus 1 Reg. 45, 1-35.

ARG. — Solemniori quadam ratione Saulis inobedientia, ob quam repudiatus est, narratur. Mandatum prophetæ distincte enuntiatur, item-